



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

11. Mortificatio mendacii.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

qui in monte Sinai, non absque populi pavore, nomen sanctum tuum, in vanum assumi vetuisti: gratiam mihi uberem concede; ut nunquam deinceps nomen tuum absque necessitate & reverentia proferam; atque ita pœnam transgressoribus intentatam effugiam.

Aspirationes.

I. Sanctam & terribile nomen Ejus.
Psal. 110. 9.

II. JESU dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Mel, nectar, melos aurium,
& Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium!

III. Utinam, mi JESU, nomen tuum ineffabile, nunquam in vanum assumere!

PASSUS XI.

Fuga Mendacii.

TEXTUS.

Noli velle mentiri omne mendacium. Eccli. 6. 7.

Cogni-

Cognitio. ♥

Mendacium est locutio contra mentem; dum aliter loqueris, aliter sentis. Estque triplex, jocosum, officiosum, nocivum; quæ omnia peccata sunt, licet alterum altero sit gravius.

Consideratio Motivorum.

Ad mendacium omne, studio singulari cavendum, moveat te I. Mendacii author, scilicet diabolus, qui est pater & primus author mendacii. Joan. c. 8. Et mendaces ex patre diabolo sunt, filiique diaboli, non naturâ, sed imitatione; non carnis successione, sed criminis, ut loquitur S. Epiphanius Hæresi 38. & S. Ambros. in Luc. II. Mendacii damnum; mendax enim proximum fallit, fidem apud ipsum amittit, commercio humano officit; & si mendacium cum damno gravi connexum est; *Animam occidit.* Sap. 1. 11. III. Mendacii venenum & malitia; quæ tanta est; ut licet totum mundum lucrari valeres, neutiquam tamen proferendum esset: quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Ad Rom 3. 8.

Petitio.

O suprema Veritas, tantum mihi impertire veritatis amorem, & odium mendac-

dacii, ut nunquam, aut joci gratiâ, aut damni metu, aut lucri spe, aut pœnæ timore, à veritate deflectam, aliudque ore proferam, ac corde sentiam.

Aspirationes.

I. Fuge lingua mea, mendacium: Os enim, quod mentitur, occidit animam. Sap. c. 1. 11.

II. O quantopere mihi cavendum est omne mendacium; quia scriptum est: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. S. Gregor. L. 18. Moral. c. 2.

III. O æterna Veritas! Nunquam ex ore meo prodeat mendacium, & falsitas!

PASSUS XII.

Mortificatio consuetudinis
jurandi.

TEXTUS.

Ego autem dico vobis, non jurare omninò: sit autem sermo vester est, est; non, non: quod